



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 97. Concilium Coloniense, in quo de expositione SS. Sacramenti actum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C 1452.

## §. XCVII.

*Concilium Colonense, in quo de ex-  
positione SS. Sacramenti  
actum.*

Hoc anno Nicolaus de Cusa Cardinalis,  
& Nicolai V. Papæ Legatus a latere  
per Germaniam, Concilium Provinciale  
Coloniæ celebravit, comprobante Theo-  
dorico ejusdem urbis Archiepiscopo. Hæc  
Synodus omnium prima decretum edidit  
de expositione Sanctissimi Sacramenti,  
cujus in superioribus Conciliis nullum o-  
mnino exstat vestigium. Statuit igitur,  
ut ad majorem honorem Sacramenti dein-  
ceps ipsum sanctissimum Sacramentum nulla-  
tenus visibiliter in quibusunque monstrantiis  
ponatur, aut deferatur, nisi in sandissimo  
festo Corporis Christi cum suis Octavis  
semel in anno in qualibet civitate, aut oppi-  
do, seu parochia: vel ex singulari induito  
Ordinarii, aut alias pro pace, aut alia ne-  
cessitate imminente ex indispositione Rempu-  
blicam prægravante: & tunc cum summa  
reverentia atque devotione. Ex his verbis

Krantz in  
Metrop.lib.  
II. cap. 39.  
Cassand. in  
Consult. art.  
22. tit de cir-  
cumgest. Eu-  
Spond ad  
ann. 1451. n. 8  
publice singulis feriis quintis per anni  
circulum

satis non liquet, quænam Sanctissimi Sa-  
cramenti expositio hoc Concilii decreto  
speciatim restringatur. Krantzius, Cas-  
sander, & Spondanus censem, a Legato  
char. fuisse suppressam confuetudinem, qua tunc

circulum sacratissima Eucharistia exposita Sæcul. XV.  
 circumferebatur, hinc decretum, ut dein- A.C. 1452.  
 ceps bis tantum solemní ritu SS. Eucha-  
 ristia exponeretur, ac publice circumfer-  
 retur, nimirum in festo Corporis Christi,  
 & illius octava die, ut ejusmodi devotio-  
 num usu minus frequenti assistentium pie-  
 tas, atque fides augeretur.

### §. XCVIII.

#### *Amadæi Obitus.*

Hoc item anno die decima septima Ja- *Æn. Sylv.*  
 nuarii Genevæ Amadæus Sabaudiæ *comm. Pii II.*  
 Dux in Concilio Basileensi Papa electus, l. 7.  
 & Felix V. appellatus, sexagesimo octa-  
 vo ætatis suæ anno cum opinione sancti-  
 tatis decepsit. Hic schismate ad quadra-  
 gesimum annum & amplius (\*) protra-  
 cto se Pontificatu abdicavit, quo facto  
 tam clarum pietatis exhibuit specimen,  
 ut ubique pro more illius ævi versus iste  
 decan-

(\*) Nmio Felicem Antipapam extollendi  
 studio abruptus Continuator nosler dictorum  
 suorum oblitus fuisse videtur, dum in libro CV.  
 § XLIII. schisma extinctum fuisse scr̄p̄t an-  
 no MCCCCXXIX. nunc vero jam aliud QUADRAGINTA annos durasse memoret, cum  
 tamen præsens schisma duntaxat a die intrusi  
 Amadæi epocham suam agnoscat, scilicet ab an-  
 no 1439. quodque finitum est anno 1449.